Quelle: http://manuscripta.at/?ID=818
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

sanitatem. Item quedam mu-
lier nomine Golda de wienna a la-
pide quem habebat in oculo fue-
rat liberata. Item quedam vir-
go percussa a tonitruo ita ut to-
ta diriguisset sanitatem re-
sumpsit corporis et vigorem.
Item Coriarius quidam una
manu chirograticus eiusdem
manus vigorem impetravit.
Item quedam virgo decem
annorum de wienna in utro-
que pede podagram paciens
pedis recepit vigorem et of-
ficium utriusque. Item que-
dam femina visum utrius-
que luminis impetravit.
Item quedam mulier honesta
et nobilis nolens dicere unde
nacionis esset demoniaca
est a demonio liberata.
Item quidam miles in partibus
Austrie cui in gutture ossea
preminencia creverat a qua
dum nimis torqueretur beatum
Marchionem votivis precibus
invocabat ut sibi succurre-
re dignaretur cuius iuvamine
eadem preminencia sic per in-
tegram cutem colli exivit

ut macule nec cicatrix nec
nota aliqua videtur. ¶
Accidit quadam vice quod
quedam matrona hones-
ta adeo multis fuit obnoxia
debitis tam fidelibus quam Jude-
is quod exinde tamquam desperata
nimium turbatur quia unde
solveret non habebat. Tandem
videns deum per beatum Leupol-
dum quondam margravium Aus-
trie memoratum tot operari
miracula. Sepulchrum eius
adiit ac super eo prostrata mar-
chionem profundis gemi-
tibus invocavit ut sibi dig-
naretur in suis afflictionibus
subvenire. Que statim recepit
in visis. Vadas domum et scri-
nium tuum resera et invenies
omnia tibi credita persolvisse cy-
rographis et obligacionum
instrumentis repositis in
eodem. Quo audito eadem
matrona licet diffidens de
visione tamen domum rediit
et aperto suo scrinio litteras per
ut in visis acceperat adinve-
nit unde examinacionis ve-
hemencia se deceptam estimans.